

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōōCCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
 DISPUTATIO
 EXERCITATIONUM PHILO-
 SOPHICARUM XXXVII,

De
CAUSA VIRTUTUM
 MORALIUM FORMALI.

Quam,
 Divinâ affulgente gratiâ,
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,
 Liberalis exercitij gratiâ defendendam suscipiet,
 MATTHIAS Loberantj
 Husio - Hollatus,

In celeberrimâ VVittebergensi Academiâ,
 ad diem 20. Aprilis, horis & loco consuevis.

Cicero lib. I. de Fin.

Quærendi defatigatio turpis cum id quod quæritur sit pulcherrimum.

VVITTEBERGÆ,

Tyris Johannis Gormann ANNO M. DC. XI.



B. nune
 coaduni.
 & poten.
 abet fun.
 gaudium
 e rectum
 , seq. ad
 is de bono
 absentem
 quatuor:
 . Ira, que
 injuria,
 . Merit,
 ne saltem
 diversita-
 nen motet
 affectum
 ut cadunt.
 eius. 7 Pro
 Plutarchus
 mat. 9. Ali
 non habet.





*VIRO Integritatis eximia, Prudentia
aliarumq; Virtutum splendore
praclaro:*

Dn. IACOBO Lobetans /
Reipub. Rendsburgensis Senatori
dignissimo, Patruo meo
observando:

UT ET

*Humanissimo, Omnisq; Virtutis atq; Eru-
ditionis laude conspicuo*

VIRO,

Dn. BOCATIO Fedders /
Civi Hufensi primario: Præcepto-
ri quondam meo singulariter
colendo.

Hoc quicquid est studij

*In perpetuum Observantiæ & Grati-
tudinistestimonium*

dico, confeco

Matthias Lobetans Resp.

P R Æ L O Q U I U M.

Sapienter atq; præclare Socrates, mortalium omnium sapientissimus oracul^o judicatus, apud Platonem pronunciat, eum qui singula convenienter distri-
buere, & prudenter definire possit, se tanquam Dei vestigia secuturum, in
Phædro fol. 353. edit. Lugd. Etenim si quid insipiam inventu aut repertu.
quod scilicet ad scientias, quas naturâ appetimus, lib. 1. Met. 1. apparatus, ipsa certè defi-
nitio & distributio apparabunt, Casalp. l. 1. q. 99. Perip. q. 1. Siquidem uniuscujusq; rei
natura & essentia definitione cognoscitur, cum illa hujus, ad perimetri instar, complexu
contineatur, certisq; limitibus ac terminis includatur, unde & ὁρισμός, ἀπὸ τῆς ὁρίσεως
vulgo auditur: Propterea etiam à doctore omnium Philosophorum inclyto (sic Aristo-
telem vocat Justinus in f. lib. 12.) non incommodè nec incongruè vocitatur τῆς ἐπίσεως
ὑπονομήσις, lib. 2. post. An. c. 2. unicum rem aliquam perfectè cognoscendi medium, l. 2.
Met. c. 3. omnis disquisitionis principium, l. 8. Top. c. 3. imò adfirmatè idem ille ponit ex-
eritè, idem esse scire, ac per definitionem aliquid intelligere l. 7. Met. c. 6. omnesq; scientias
propriè & per se per definitiones comparari, l. 2. Post. An. c. 17. Parilem in modum tum
demum res dextrè explicari, & rite intelligi possunt, probe si distributæ fuerint, ut est in
Platonis Phædro: Divisio enim est ad instar diametri, quæ essentiam alicujus rei in ju-
stas ac æquales partes differtitur, ex quibus de illâ judicari melius, eademq; accuratius
cognosci potest. Unde & ab eodem divino Platone non immeritò hoc præconiij titulo sa-
lutatur. quod sit λόγος σαφεινός, in Sophista f. 150. ab Aristotele autem, quod sit ser-
mo efficacissimus & præstantissimus, l. 7. Top. c. 2. à vulgo, quod sit ambiguitatis, quæ er-
rori affinis est, Scal. Ex 148 Sect. 4. medicina, qui namq; ut illud habet è viâ petitur,
bene distinguit, bene docet. Eapropter cum hæc ita habeant se, operæ esse omninò videtur,
impresentiâ ad duo illa in institutâ causarum virtutum mortalium inquisitione omnem
animi nostri commendationem conferre, quippe cum uniuscujusq; rei, sicq; etiam & Vir-
tutū. Forma, quæ ordinis monitu p^ræfulatius consideranda, per definitionem exprimat^{ur}.
perq; distributionem manifestaria reddatur. Damus igitur de Definitione & Divisione
virtutum moralium insequentia paucula, cum nobis illud nobile Scaligeri dictum nimis
dulcescat, quo edocli sumus, in Lyceo brevioribus ambulandum esse statū. Exerc.
256. Declamationes enim ambitiosorum sibi sunt, & Naturæ divinitatisq; impedito a-
nimo studendum est ei brevitati, quæ res æquet verbis, & demonstrationes habeat pro
Nectare, Exerc. 307. Sect. 20.

T H E S I S I.

Virtus moralis, licet à Stoicis definita fuerit status animorum quietus,
seu ipsa quies & perturbationum seu affectuum vacuitas: Tamen de-
finitio hæc eò saltè usq; admitti potest, quâ affectus respicit vitiosos, siqui-
dem aliàs virum bonum omni affectu, etiam naturæ humanæ consentiente,
sarcere debere, vehementer absurdum est. Ac quamvis à sine vulgo virtutes
definiantur medicina animi, cum pravis affectibus & perturbationibus va-
lidè medeantur: Tamen descriptio verius potiuve, quàm est definitio.

II. Omnium autem ut perfectissimæ, sic solidissimæ definitio virtutis

Resp.



ab Aristotele traditur talis, 1. 2. Eth. c. 6: Quod sit habitus electivus in mediocritate consistens quo ad Nos. descriptus ratione, sicuti vir prudens tam determinaverit. Quae definitio ut resoluta eo clarius pateat, lubet membratim illam retexere, & non definitum, de quo in ante dictum, at definitionem ipsam paullo altius perpendere.

III. In eâ igitur primitus considerandum venit ipsum Genus, quod dicimus esse Habitum, seu qualitatem ex crebris actionibus comparatam, è subjecto difficulter mobilem, nosq; ad agendum faciles ac idoneas efficientem: Siquidem cum virtus, ut ex praegressis exercitationibus constat, lucum & sedem suam in animo habeat; Ut verò quae in animo, & quidem irrationali, occurrunt, sint vel affectus, vel potentia, vel habitus; virtus quoq; aliquod horum trium sit, necesse est.

IV. Sed non est Affectus, 1. Quoniam propter hoc non dicimur boni malivè, cum à natura nobis sint inditi, sed secundum virtutem. 2. Propter affectus neq; laudem, neq; meremur vituperium, itidem quia à natura nobis obtingunt; Neq; enim natura timida merito in reprehensionem aliquâ cadit, aut ad iram propensus, simpliciter ob id culpari potest, nisi quantitas illorum affectuum attendatur: Cum virtutibus autem res contra se habet.

V. 3. Affectus fiunt absq; antesedente consilio & electione, dum subito saepe irâ commovemur, praeterq; quandoq; spem in amorem incidimus: Virtutes autem non sunt ἀνεπιλογέτων. 4. Affectibus moveri & commoveri dicimur, quam ob rem proprie Motus adpellantur: Virtutibus autem non movemur, sed disponimur ac conformamur ad actiones, easq; bonas, sedendas, lib. 2. Eth. Nic. c. 5.

VI. Sic Virtutes minime διωκόμεναι sunt, partim quia propter potentias neq; boni neq; mali dicimur, ideòq; etiam propter illas neq; laudari neq; vituperari possumus, uti hoc nobis contingit ob virtutes & vitia: Partim quia potentia nobis natura insunt, cum Virtutes usu & assuetudine comparantur, uti hoc suo loco δεξιῶς ἀφ' Ἰσίδωρον demonstratur de dicitur.

VII. Relinquitur igitur Virtutem habitam esse necessariò, quod ipsum etiam tum ex principijs, quibus illa in nobis generatur, tum ex proprietatibus ac conditionibus Habitibus à Philosopho in Categoria Qualitatis expositis & propositis, ex affe Virtuti congruentibus, manifestissimum evadit, uti & subjectum ejusdem illud ipsum in obscure innuit.

VIII. Porro reliqua in Definitione locata verba, differentiarum locum tenent, virtutemq; ab omnibus reliquis habitibus, cum quibus ipsi cognatior quaedam intercedit, discriminant: Et primò quidem virtus dicitur Habitibus Electivus

seu cum proposito & diu multumq; deliberato consilio susceptus; Quo ipse
Virtus tum a habitibus Intellectualibus, tum ab actionibus naturalibus &
fortuitis manifeste separatur, cum hac omnia sine *degenerate* fiat.

IX. Deinde Virtus dicitur *Mediocritas* seu medium illud in actionibus
spontaneis & deliberatis inter excessum & defectum, quod etiam causa for-
malis virtutum moralium adpellari potest, & ab Aristotele natura atq; es-
sentia virtutis vocatur, lib. 2. Eth. Nic. c. 6. cuius interventu hac à vitis
omnigenis discrepat modis, quippe qua in excessu & defectu corrumpuntur.

X. Quodq; Virtus in mediocritate consistat unice, & hac eius forma sit,
id insequentibus probari quit rationibus: 1. Si in omni arte & artium operi-
bis spectatur mediocritas, Virtus etiam, qua haud secius ac natura, omni-
bus artibus praestantior est atq; exquisitior, in mediocritate consistet; Sed
prius nimis tam verum quam clarum est: Ergo & quoq; posterius.

XI. Nam illud constat tum ex proterito illo, quo praecleara egregiaq; ar-
tificii opera ita commendantur, quod scilicet alia sint, quib. nihil addi, nihil dem-
possit, h. e. quod sint in mediocritate: Tum à contrario, quia nimium & parum,
seu excessus & defectus unamquamq; corrumpunt rem, mediū a. eandē in sta-
tu suo conservat; Tum deniq; idē testatur studium nota prima artificium, qui
omnes in operibus suis ad mediocritatem collimant, eamq; unice spectant.

XII. 2. Quia virtus versatur circa affectus & actiones: Ideo formam
virtutis id esse necesse est, quod in illis est optimam, quippe cum hoc virtutis
propriū sit, esse in rebus humanis optimum. Iam verò in affectibus & acti-
onibus tria sunt, scilicet nimium, parum & mediam: Et duo priora quidem ab
omnibus dicuntur errata, mediū verò solum laudem agenti conciliat, opti-
mamq; esse à nemine non iudicatur. Ergo.

XIII. 3. Quod unum est & simplex, id magis ad mediū pertine-
re videtur eo, quod varium & multiplex existit, cum in una qualibet re
unum tantum sit mediū, plura verò possint dari extrema: Virtus autem
unica & simplex est, recteq; facere uno tan- tum modo in qualibet re possu-
mus, peccare autem pluribus. Ergo.

XIV. Ulterius cum mediocritas consideretur vel respectu rerum, qua-
rum est mediā, vel respectu nostri: Ideo mediocritas alia rei dicitur, alia
verò persona seu quo ad nos. Illa aequaliter abest ac distat ab utroq; extre-
morum, & idem est omnibus, estin. aturq; secundum proportionem Arithme-
ticam: Sic centrum in circulo est mediū rei, item numerus Senarius, dum
aequaliter à 2. & 10. tanquam duobus extremis, distat.

XV. *Hoc, mediocritas personae, est, quae nec plus nec minus habet, quam personae ipsi convenit, ac quae accommodata est cui usque personae pro ratione circumstantiarum. Unde & variat, nec eadem omnibus est, habetque proportionem Geometricam, cum non semper intervallo equali, sed similitudine quandoque rationum ab extremo differat. Atqui haec illud est medium, quod in virtute observari considerarique debet.*

XVI. *Non vero datur illa in omnibus universim actionibus & affectionibus, sed saltem in indifferentibus: Sunt enim actiones & affectus humani in triplici potissimum differentiâ, alij suam naturam & semper boni existunt, indeque per se, non propter mediocritatem laudantur, ut timere Deum, parentibus obedire, misereri pauperum, &c.*

XVII. *Alij contra suam naturam & per se mali sunt ac vitiosi ut laudabilem mediocritatem nunquam admittant, sed ipso nomine vitiositatem suam indicent, ut invidia, adulterium, &c. Alij denique sunt indifferentes, sua scilicet naturam nec boni nec mali, sed propter nimium quidem & parum mali, ob mediocritatem autem boni vocantur, ut ira, amor, edere, &c.*

XVIII. *Ad extremum, quia etiam mediocritas Personae non eadem semper est, sed pro ratione circumstantiarum insignitè variat, ideo in Definitione virtutis subjicitur, unde illa mediocritas aestimanda sit, nempe quod eam nobis definire recta ratio eaque practica debeat, quam prudentia, quam sine nulla virtus moralis perfecta esse potest, nobis monstrat.*

XIX. *Ultima definitionis particula (quemadmodum vir prudens eam determinaverit) completiva est, restringens rectam rationem ad iudicium viri prudentis, cum non omne id pro recto haberi possit aut debeat, quod univulgi ratio temerè suggerit, sed quod vir prudens, qui solus intelligit ex longo rerum usu in omnibus actionibus quid singulis personis, locis, temporibus, &c. conveniat, rectum arbitratur.*

XX. *Ut vero eò facilius & felicius in difficilimâ hac re Virtutis studiosus, seu qui ad ipsam mediocritatem tendit, versari possit, sequentia maxime teneat praecepta: 1. quia quaedam inter vitia magis, quaedam virtuti minus adversantur, (unde & omninò sunt imparia, suosque, ut virtutes, habent gradus) Ideò diligentius ab eo extremorum, quod magis medio oppositum est, sibi cavere debet, atque declinare ad id, quod virtuti propinquius videtur.*

XXI. *2. Quia alius ad alia vitia est proclivior: Ideò si ad virtutem aspirat, oportet omninò ut ea maxime caveat vitia, ad quae tacito quasi naturae sensu duci se advertit, inque contrarium potè flectat, atque tum ad ipsam mediocritatem.*

critatem tandem perveniet: Ita enim in contrarium est vitendum, ne in
vitiis adversa incidamus.

XXII. 3. In omni actione summo caveat opere Voluptates sensuum
externorum, ne illorum causa quidquam suscipiat, aut ob earundem absen-
tiam honesta omittat: Tali autem animo sit in eas, quali seniores & pru-
dentiores Trojanorum erga Helenam, qui Priamo suadebant, Illam, utne
formosiss. potius Grecis restituendam, quam totum regnum in periculum
conjiciendum, Hom. Iliad. 3.

XXIII. 4. Si in virtutis studio non ipsum statim videtur possit medi-
um, tunc ad utrumq; paulum extremorum, partim ad excessum, partim ad
defectum declinet, cum quia hoc pacto facile ipsam attinget mediocritatem,
cum quia licet paululum ab hac deficiat, aut eandem excedat, non idem ta-
men vituperari queat, maxime cum levis error facillime latere possit. Hec de
virtutis definitione.

XXIV. Caterum etsi virtutes adamantinè omninò vinculis se in-
ter nexa sint: Attamen non una est numero, quae diversis accommodata re-
bus varia subiret nomina, verum secundum species interq; se formaliter di-
screpant, dum illarum aliae ad iram, aliae ad cupiditatem pertinent, & dum
praeterea distinctarum sunt moderationes perturbationum, nec ab iisdem
principijs prodeunt, sed aliae ab actionibus justis, aliae à fortibus, &c. oriuntur.

XXV. Quot autem sint virtutes numero, res non ita est in claro:
Plato enim modo plures, modo pauciores recensitat, sapissimè tamen has
quinque constituit, Iusticiam, Temperantiam, Fortitudinem, Sanctitatem, &
Sapientiam seu Prudentiam; At enim haec divisio est manca, & confusa,
dum iusto pauciores Virtutes constituit, neq; morales ab intellectualibus, aut
has etiam à se invicem sat aptè distinguit.

XXVI. Cicero verò quatuor summas virtutes constituit, quae vulgò
Cardinales vocantur, dum in lib. 1. off. omne honestum in perspicentiam
veri seu solertiam, in Iusticiam, animi excelsi magnitudinem, & deniq; in
modestiam seu temperantiam partitur: sed & haec divisio ut confusa, sic nec
integra est, dum habitus mentis cum virtutibus moralibus miscet, neq; ha-
rum omnes proprijs nominibus vocat, & diversiss. saepe in uno eodemq;
genere conjungit.

XXVII. Aristoteles autem commodè & congruè Virtutes morales
dividit in perfectas, & Imperfectas; Illas vocat, quarum integrum habi-
tum nobis comparare possumus, propterq; quas simpliciter boni appellari me-
remur.

venit, ac harum numerat undecim. Versantur namq, vel in moderandis affectibus, vel in actionibus gubernandis, lib. 2. Eth. Nic. c. 7.

XXVIII. Affectuum, quos Virtus moralis moderatur, precipue quatuor sunt: 1. Metus, cui est confidentia contrariis & timiditas, & hos moderatur Fortitudo. 2. Voluptas, cui contrarius est dolor, atq, hos moderatur Temperantia. 3. Cupiditas honorum, quam moderantur duae virtutes, animi sc. Magnitudo, & Modestia. 4. Ira, quam regit mansuetudo seu Clementia.

XXIX. Actiones vero, quae à virtute morali gubernantur, triplices sunt: Quedam namq, versantur circa facultates, in quibus rectè administrandis modum ostendunt Liberalitas & Magnificencia; aliqua circa contractus & commercia instituenda, in quibus ostendit mediocritatem Iusticia; Aliqua demum pertinent ad quotidianam conversationem, ut est, Veritas, Humanitas, & Urbanitas.

XXX. Imperfectas vocat Virtutes, quae quidem laudabiles sunt mediocritates, extremaq, habent vitiosa, attamen vel non sunt habitus, vel minimum non perfecti, sed cum pugna reluctantium sensuum aut cupiditatis conjuncte tenentur, ut est Veretundia, Indignatio, Continentia, & Tolerantia. Atq, haec de virtutibus moralibus in genere.

A D J E C T A N E A.

1. Homo, ut talis, ad Virtutes magis est pronus, quam ad vitia.
2. Unde respectu hoc vitia omnino ejus contra naturam sunt.
3. Et ab his differt virtus ratione exuperantiae.
4. Hincq; extrema magis sibi met opponuntur ipsis, quam medio.
5. Horum tamen privatio minime Virtutis forma est.
6. Interim non omne extremum simpliciter vitium est.
7. Deterrimum verò illud vitium, ad quod nos faciles.
8. Virtus ex electione potè, quam aestimanda est actione.
9. Ac haec medium est non per participationem, at negationem inter vitia.
10. Nunquam sunt facienda mala turpia, ut bona eveniant.

F I N I S.

Umg. VI 26


= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. G. G.
 SPUTATIO
 TIONUM PHILO.
 ARUM XXXVII,

De
VIRTUTUM
LIUM FORMALI.

Quam,
affulgente gratiâ,
 B PRÆSIDIO
Æ T I L E M A N I

colleg. Philos. Adjuncti,
ij gratiâ defendendam suscipiet,
 H I A S Zoberantꝝ
 sio - Hollatus,
Vittebergensi Academiâ,
ntis, horis & loco consueis.
 ero lib. I. de Fin.

is cum id quod queritur sit pulcherrimum.
 TTEBERGÆ,
 ormannanno M. DC. XI.

